

præceptum suum dudum delegata, atque concessa et postea diligenter provisæ æquanimittate sibimetque, firmari, et quæ deinceps a quibusdam timentibus Deum ibidem collata fuerint, videlicet ab urbe Derthona quidquid de ipsa est abbatiola usque ad ipsum monasterium in eodem comitatu Derthonensi, Januensi, maris littore et Tuscia, necnon vicum Arderatum, et Pasqualini, et casam de Papia cum massario in aurello. Reliquum vero ipsius abbatiolæ Laudunensis episcopus ad utilitatem suæ ecclesiæ pro defensione, et excusatione eorundem monachorum retineret, ac possideret, implorasti scilicet pro omni excubia et expeditione tam palatina quam et hostili. Nos igitur per gratiam, et potestatem, quæ nobis a Deo apostolorum meritis collata sicut superius continetur ambabus partibus juxta commune votum, et moderationem æquam, apostolicaque confirmantes auctoritate statuimus auctore Domino Jesu Christo inviolabile amodo sic permanere. Sancimus quoque ut cum præsens ejusdem loci abbas Adalbertus, vel ejus successores ab hac luce divina vocatione subtracti fuerint, non aliunde, sed de ipsa congregatione concorditer substituatur alter, si vero pro ipsa electione, aut fratrum dissensione, vel etiam alia qualibet ipsius loci necessitate Laudensis episcopus utique non alius, vel ejus missi idem monasterium aut cellas, aut curtes ejus vocati in adiutorium venerint non plusquam triginta homines, et caballos quadraginta conducant, quibus ex ipsis monasterii rebus dentur stipendia, et ultra triduum

A non ibi morentur, nisi cogente charitate, aut necessitate abbas cum fratribus postulaverint, ter siquidem per annum aut abbas, aut ejus inde monachi Laudensem episcopum in sua ecclesia honorifice et visitent, et recipiantur. Præterea decernimus ut si ejusdem monasterii abbas se aliquando prægravari injuste cognoverit ab eodem episcopo, vel aliis, libere ad nostram sedem apostolicam appellet, atque ad eam confugium faciat, ut sua mereatur obtinere irrefragabiliter jura apostolica sibi clementia roborata. Quæ si quis præcognita corrumpere, ipsamque sanctam congregationem perturbare, vel inquietare prætermisso apostolico, seu regulari judicio tentaverit, et hoc nostrum privilegium quoquo modo corrumpere, in virtute sancti Spiritus, se beatorum apostolorum a communione omnium sit separatus B justorum quoadusque digna satisfactione humiliatus emendare studuerit, quæque contra ipsum reverendum locum ad periculum sui deliquit. Qui vero custos et observator hujus apostolici nostri privilegii fuerit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur. Scriptum per manum Georgii scriptionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Junio, indictione. i. Bene valete.

Datum x Kal. Juli per manum Zacchariæ episcopi et bibliothecarii, atque missi S. sedis apostolicæ, imperante domino nostro piissimo perpetuo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore anno III, et post consulatum ejus anno III, indict. i.

## MARINI PAPÆ I

EPISTOLA AD MONACHOS J. ÆGIDII.

(Anno 883.)

*Præficit Amelium presbyterum.*

(In probat. novæ hist. Nemaus, pag. 15, apud D. Bouq. Script. rerum Franc., t. IX.)

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus nostris monachis de monasterio quod vacatur Vallis-Flaviana, salutem et apostolicam benedictionem.

Cognitum facimus omnibus vobis quia præsens Amelus religiosus presbyter noster commendatus factus est. Unde et nos pro sua fidelitate concedi-

C mus et ipsum vestrum monasterium, cum omnibus suis pertinentiis, ad tenendum, et vos regendum atque gubernandum, salva pensione nobis annua persolvenda. Unde vobis præcipimus ut eum honorifice suscipiatis, et eum ut prælatum cum omni religione habeatis, qui eum ad salvandum et regendum super vos ordinavimus. Bene valete.